



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vt quisq[ue] syncerè simpliciterq[ue] ambulare erga proximos debeat:
opera nostra quemnam ad scopum dirige[n]da sint: puritas
simplicitasq[ue] animi, quo pacto obtineri possit. Epist. XLI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

rum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vita. Hæc tria itaque sunt mundus, quæ oportet in nobis extirpari, & ita abrenunciamus mundo. Contra hæc tractatus religionis opposuit tria vota monastica. Contra concupiscentiã carnis castitatem contra concupiscentiam oculorum, id est, contra cupiditatem paupertatem: contra superbiam vitæ, id est, contra appetitum domi- nandi obedientiam atque subiectionem.

1. Ioan. 2.
Vota tria
monastica
quo pertine-
ant.

His tribus virtutibus, quas Christus docuit & verbo & exemplo, vincitur expugnaturq; mundus. His tribus efficitur quis monachus & religiosus. His tribus alijsq; virtutibus acquiritur amor Dei perfectus.

Vos itaq; charissimi filij, vt speramus, spiritu Dei admoniti, desideratis vos Deo offerre in seruitutem atque in perpetuum sacrificium. Nec vultis illum vno solo die, sed omni vita diligere: nec tantum diligere, sed perfectè, quemadmodum docuit diligere, id est, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Propterea expectistis vehementi desiderio ac prece recipi in societate nostram, quibus cum vna Deo miliretis.

Nemo potest non commendare hoc vestrum tam salutare propositum. Sed quod feruenter petitis, debetis fortiter prosequi, nec vllis frangi aduersis casibus, nulli labori succumbere, nulla tentatione superari. Non satis est bene cepisse, sed adsit oportet perseuerantia, quæ sola reportat iustitiæ coronam: quam vobis Dominus Iesus dabit petentibus, pulsantibus & quærentibus, sicut ipse pollicitus est. Viriliter agite & confortetur cor vestrum filij longè charissimi, & semper optimè valete.

Lucæ 11.
Ioan. 16.
Psal. 26.

Vt quisq; sinceriter simpliciterg; ambulare erga proximos debeat: opera nostra cuncta quænam ad scopum dirigenda: puritas simplicitasq; animi quo pacto obtineri possit.

Epistola XLI.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIUS, CARTHVS.

Confratri suo Charissimo N. niti quotidie ad interiora, & bene quidem de proximo, humiliter autem sentire de seipso.

Sufficit tibi dilectissime frater, ad oëm iustitiam, vt secundum Deum, secundum voluntatem præsentis, & secundum conscientiam tuam rectè facias, & ampliùs ne requiras neq; timeas, sed omnes cogitationes aut curas inutiles abscinde, quæ te sollicitum faciunt pro cogitationibus aliorum, id est, quæ sic incidunt: iam fratres scandalizant, iam hoc cogitabunt & ita suspicantur, &c. quæ communiter hominibus ex superbia veniunt, id est, ne displiceat, ne iudicetur, ne ab alijs malè de se sentiantur. Humilis enim si rectè egerit non timet aliorum suspensiones. Si enim diu cogitaueris, & omnia opera tua in oculis aliorum rectificare volueris, & de omnium cordibus suspensiones au- dere te posse existimaueris, multum erras, in vacuum laboras, te ipsum turbas, & viam qua tenditur ad humilitatem & proprij contemptus desiderium, præcludis. Nunquid omnibus cogitationibus tuis aliorum sensus & corda mutare potes, vt quod sentiunt non sentiant, quod cogitant, non cogitent? Non dico hæc, vt fratribus tuis scandalum

Vt quis cū
aliorum
suspensionibus habere
se debeat.



Opera omnia quo ex fando faciēda sint.

dalum ponas, quia tunc non faceres secundum conscientiam tuam, neque secundum Deum: sed dico quod in his quæ facis, recto corde, in oculis Dei, præsentis & conscientia tuæ (qui tres testes sufficiunt) & maxime ex charitate vel sæpe ex obedientia, ita quod vix aliter facere audeas: aliorum suspitiones aut etiam si volunt malè interpretari aut scandalizari, ipsorum sensus non metuas neque cures, sed quæ facis iustè, simpliciter & purè, id est, sine cogitationibus & fantasijs tranquillè facias. Non enim debes pro iustificatione tua aut exultatione siue aliorum eruditione, siue cordium reuelatione in istis etiam communibus & indifferentibus viam simplicitatis aut æquiritatis, immò maxime, humilitatis declinare, sed quicquid alij senserint aut murmurauerint ignocantes intentionem tuam, & cetera, tu tace & Dominus respondebit pro te: semper tamen debes pro ipsorum charitate, pace & cordium tranquillitate Deum orare.

Absque solitudine vti quisque fore debeat.

Esto igitur sine solitudine, in omnibus te totum Deo committe, & ipsa non solum quod tibi magis gratum est, & tibi providebit vtilius, sed etiam pro te (si tu tamen tacueris, & totum illi in simplicitate & puritate cordis committis) respondebit. In magnis tamen vbi periculum mortis, aut via ad tale periculum alijs ex taciturnitate tua scandalizatis immineret, necessaria est excusatio & famæ sensio, nisi in sua opinione pertinaces, tuæ excusationi non voluerint acquiescere: tunc magis iterum expedit quiescere & tacere, pro ipsis orare, & omnia charitate operire, & Dominus pugnabit pro te. Si qui verò te in his quæ secundum Deum agere, & tuo profectu studere desideras, propositum tuum impediunt, humiliter sustine, & totum te Deo committe: neque vilo modo in illis siue in alijs cor tuum patiaris retrahere quæ tibi fiant, aut alij faciant: sed ab omni tumultu cogitationum se securus quiesce, omnem sollicitudinem & curam in eum projice, qui melius & facilius nouit tibi procurare, & citius (quàm tu teipsum defendendo, aut inutiliter sollicitando & cogitando) quicquid pro tuo profectu & ipsius beneplacito nouerit tibi conuenire: immò pro tua patientia, si humilis fuerit simplex & tacens, & propter charitatem seruandam viam virtutis quam te putas declinare, aut tibi impediri, illam tibi multò perfectius & clarius per alium modum Dominus (si in ipso constanter & confidenter permaneris) faciet aperiri. Nec aliquis vnquam poterit aliquid, nisi quod pro te (etià te ignorante & Domino sic disponente) ad patientia atque abnegationis propterea voluntatis exercitium magis fuerit vtile.

1. Pet. 5.

Puritati & simplicitati quanto studio inuigilandum.

Eodem modo dilecte mi, habes te in omnibus quæ tibi proueniunt, siue illa fuerint tristitia, siue dulcia, proque nullo futuro sollicitus, sed semper studio cordis puritati, cordis abnegationi, & simplicitati, vt quomodocumque tecum fiat, aut quicquid etiam tibi faciendum sit, sine phantasmatis securissimè te Deo committe, vt non tuam, sed suam in te semper operetur voluntatem. Tu enim nescis quid tibi expediat, neque de futuris aut presentibus aliquid mutare potes, sed fiat quod fiet, & eueniat quod eueniet. Hæc sit cogitatio tua, scilicet in omnibus te Deo committere, voluntatem eius simpliciter vbi que desiderare, & sine aliqua tractatione cordis, voluntati & ordinationi ipsius te subijcere & plenissimè resignare. Quicquid tunc euenierit, in securitate & spe de bonitate & prouidentia ipsius suscipere, & quamdiu voluerit portare

Sollicitudo quenam necessaria.

tare, & sicut tecum voluerit facere, simpliciter te resignare, nec aliter ab ipso, nisi quod ipse vult desiderare. Non tamen ipse vult tibi suam voluntatem, ante operationem suam erga te manifestare, sed vult omnimodam cordis tui abnegationem generaliter ad omnia te habere, vt non in scientia (vbi nullū est meritum) sed in confidentia bona & fide ambules, & sentias de ipso in bonitate, & in simplicitate cordis queras illum, & purissima funditus tui abnegatione atq; resignatione proiciendo omnem sollicitudinem in eum, qui sine te aut cura tua multa tibi his maiora & ineffabilia procurauit: & sic ipsū feliciter, dulciter, securiter & perseveranter inuenies.

Hæc dilectissime cordis effusio, hæc voluntatis propriæ abnegatio, & hæc cordis simplicitas atque puritas, plus Deo, quam omnia victimarum generâ placet, gratissimumque & delectabilissimum est illi eiusmodi holocaustum. Ipse enim non potest habitare nisi in corde humili, simplici, puro atque pacifico, nec potest operari nisi in corde abnegato & totaliter sibi effuso, quod se totum Deo mactat, totum effundit, totum resignat, nihil sibi retinet. Quanto enim plus proprietatis in se retinet, tanto minus accipiet diuinæ operationis, & econuerſo.

Hoc est studium Monachi & perfectio, ad quam non peruenitur nisi vi-tiorum præcesserit mortificatio, & affectionum non solum malarum, sed etiam quarumcunq; creaturalium & inutilium, omniumq; quantum possibile est phantasmatum & cogitationum, & super omnia mors propriæ voluntatis & proprii sensus &c.

Hæc dilecte mi, scripsi mihi & tibi, ad profectum nostrum, si nō inde nobis crescat emendatio, saltem tamen, & vnam ad minus superbix nostræ humiliatio. Quotiescunq; hæc legeris, pro me etiā saluta, illā purissimā, simplicissimā, humillimā, & totaliter in Deo per charitatem & voluntatem absorptam atque vnicam benignissimam Dei matrem virginem Mariam, omnis boni, omnis gratiæ & omnis perfectionis imperatricem & administratricem, vt tibi & mihi impetret à filio suo dulcissimo, non sicut ego scripsi, sed sicut ipsa vult & nouit, & filio suo placet. Ego enim errare possum, ipsa verò non potest errare, hæc est enim nostra perfectio, diuinæ voluntatis adimpletio & cordis nostra resignatio siue in sublimi, siue in humili, nec vltra se extendere potest, quam ipse vult. Idcirco hæc scribo, vt qui pro resignatione cordis & abnegatione scribimus & oramus, in oratione proprietatem non seruemus, neque nimis Dominum erudire videamur. Sed saluta, vt dixi, beatissimam Mariam ter, Ordinis nostri, non vt quidam dicunt, generalem patronam, sed matrem. Non enim sic à patribus est conducta, vt sit patrona: quæ etsi semper auxilium præstet, non tamen semper dilectionis sensibilem aut magnam affectionem exhibet, sed vt mater est pulcherrimæ dilectionis & maternalis sollicitudinis electa: imò vt rectius & verius dicam, non ipsa nos elegit vt seruos, id est, seruitiles, sed vt filios. Nec tantum quibus patrocinetur, siue quos defendat, sed etiam vt quos foueat, & dulcissima sua dilectione custodiat & nutriat, filios habet.

Exhibeamus ergo nos in debito & peculiari eius seruitio non seruos, sed fideles filios, sicut ipsa vsque nunc maternalem suam curam à nobis non retraxit.

Considerare
& credere
Deo vt
quisq; debe-
at.

Sapientia
i. Pet. 4.
Simplicitas
& puritas
cordis quā-
tum Deo
placeant.
Cor cuius-
modi Deus
sua inhabi-
tatione dig-
netur.

Monachum
perfectum
quoniam
constituant.

Perfectio in
quo consti-
tat.

Maria Vir-
go cui sit
mater Car-
thusianorū
præcipua.
Eccle. 24.

retraxit, sicut id facile est videre. Quare nos filiali affectu & studiosa vita ipsius ac filij meditatione & imitatione ipsam honoremus & diligamus. Gloriemur de tanta matre gloriosa & sublimi, & ita viuamus, vt possit de talium filiorum suorum humilitate & simplicitate gloriari. Rogemus eam semper, vt Ordini conseruet & augeat, & vt verius dicam, restituat simplicitatem, quæ tam multis isto tempore odiosa est, non intelligentibus, quod Ordo noster, abicctio vitæ, simplicitas est, & rusticitas, ad quem seruandum vouerunt, elegeruntq; in paupertate & despectu viuere, non de structura curiosa & sumptuosa cellarum & tabulatura cogitare, sed vitam & passionem Domini meditando, formam imitationis sibi exercitium constituere.

Oedo Carthustianorū
vt sefanda-
tus super
simplicitate
Euangelicā.

Parcat illis Deus, qui ita ex via & tantæ matris custodia exorbitant (ipsa namque vult tales habere simplices & humiles filios, sicut ipsa mater vixit) qui Ordinis simplicitatem sibi constituunt alienam, & pro tam parua delectatione aut iucunditate furantur & vendunt, qui conscientiam suam ita ad ista exteriora disturbant & confundunt, vt magis videantur in officina architectorum & aliorum nescio quorum schola eruditi, quam in simplicitate Carthustiana disciplinati. Corripiat eos in præfenti benigna mater forsitan in nonnullis, propter ignorantiam via perfectioris, ne pro paruis, curiosis & cordi suo sub specie commoditatis, & vtilitatis prætextu delectabilibus & iucundis multam æternorum, ne dicam omnem, amittant petitionem.

Simplicitas
vera quæ sit.

Rogemus quoque ipsam vt sit semper & maneat Ordo noster humilitas, vt dixi, & simplicitas, vnitas & charitas, & filijs suis discretio & puritas, obedientia & humilitas. Si autem te volueris dare ad simplicitatem veram, multam pacem inuenies. Simplicitatem dico quæ talis est, vt neminem reprehendas vel laudes, ad nullius instructionem te ingeras. Ignorantiam quandam (quantum possibile est & decet, absque tamen scandalo) simul tibi illudi, derideri, iniuriari & increpari æquanimiter feras: quicquid ab alijs tibi relinquitur vel imponitur, quasi non intelligens subtilitatem vel fraudem alacriter suscipias, aliorum defectus & quicquid tale euenierit, quod displicet, non aduertas, non intelligas, non cogites. Nullius rei quæ te offendit vel turbare adhuc possit memoriam, retractationem vel phantasma admittas. Silentium strenuè, etiam inter loquentes, cum serena quadam dulcedine vultus & cordis compunctione custodias. Nihil vnquam quod te notabilem, singularem, laudabilem, vel admirandum facere possit, sine necessitate in conspectu aliorum facias, & semper quando fieri potest sine scandalo innocentiam & simplicitatem ante oculos ponas, vt eandem imiteris & custodias, & te ad exteriora, quantum ad subtilitatem, curiositatem, fraudem, curam, sollicitudinem, amorem & huiusmodi quasi puer quinque vel septem annorum habeas. Vale charissime frater: & si aliquid inordinatum aut præsumptuosum tibi scripsi mihi quæso ignosce propter Deum.